



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 3. An satisfactio Christi absque ullo favore Dei extrinseco fuerit  
æqualis, & superabundans?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

majorem intensionem non posse reddere meritum Christi Domini magis dignum; unde quævis alia operatio, dummodo supernaturalis sit, satisque libera ad supernaturaliter merendum, constituet cum ea dignitate meritum æquè dignum. Ratio est, quia minoritas illa operationis compensatur à dignitate simpliciter infinita, cum qua constituit meritum ad eum modum, quo, ut supra diximus, non est minoris dignitatis, & valoris Christus constitutus ex Verbo, & natura humana, quàm si constitueretur ex eodem Verbo, & natura Angelica, eò quòd minoritas naturæ humanæ, ratione cujus Christus dicitur minoratus paulò minùs ab Angelis, satis, superque compensatur à dignitate Verbi simpliciter infinita, cum qua constituit unum compositum.

SECTIO III.

An satisfactio Christi absque ullo favore Dei extrinsecò fuerit æqualis, & superabundans?

461. **S**uppono 1. personam infinitam Verbi dignam esse, ut si satisfaciat in natura assumpta, per quamlibet satisfactionem satisfaciat de condigno pro quibuslibet offensis pluribus, & pluribus, majoribus, & majoribus in infinitum; ad eum modum, quo si mereatur in natura assumpta, est digna, ut per quodlibet meritum mereatur de condigno quodlibet præmiù majus, & majus in infinitum: sicut enim meritum requirit æqualitatem cum præmio, ita etiam satisfactio requirit æqualitatem cum delicto, sive offensa, pro qua satisfacit; unde satisfactio non minùs est simpliciter infinita in genere satisfactionis, quàm sit meritum simpliciter infinitum in genere meriti; siquidem ab eadem forma, seu quasi forma simpliciter infinita, qua constituitur meritum, constituitur etiam satisfactio. Querimus autem in præsentì, an satisfactio Christi (idem esto de merito) contineat totum illum valorem independentem ab ullo favore Dei extrinsecò.

462. **S**uppono 2. satisfactionem Christi (idem sub modo de merito) dupliciter posse considerari, nempe vel in actu primo, quatenus habet ex se condignitatem, & vim motivam ad obtinendam offensæ remissionem, vel in actu secundo, quatenus actu causat, & movet efficaciter offensam ad remittendam offensam intuitu talis satisfactionis; quòd si satisfactio talis sit, ut visus essentialiter obliget DEUM ad volendum remittere, & ad remittendam offensam, vocatur satisfactio strictissima; si autem talis sit, ut, licet vi sua actu obrineat remissionem, eamque in valore adæquet, & excedat, non tamen habeat essentialem exigentiam ex parte sui, neque respiciat obligationem ad remittendum ex parte DEI, vocatur

satisfactio duntaxat stricta; hæc Dei obligatio ad remittendam offensam vi satisfactionis Christi Domini, considerari quoque potest saltem dupliciter; primò quidem per mutuum contractum, quo Deus promittat Christo Domino peccata hominum remittere, eisque gratiam conferre, si Christus æqualem satisfactionem pro hominibus offerat, & Christus accipit promissionem, repromittatque offerre, quòd exigitur. Secundo, si DEUS independentem à Christi Domini repromissione promittat eam offensæ remissionem, aliorumque donorum collationem, si Christus offerat pro hominibus satisfactionem condignam. Remissio quoque ex vi condignæ Christi satisfactionis considerari potest absque ulla prævia obligatione ex parte Dei. Primò, si DEUS efficaciter ex condignitate satisfactionis Christi jam exercitè posita remittere velit offensam. Secundo, si efficaciter velit Deus offensam remittere ex vi condignæ satisfactionis Christi nondum exercitè posita, sed absolute prævisæ. His positis

464. **P**rima sententia tenet, Christi satisfactionem non indigere ulla prævia ordinatione, aut acceptatione divina, ut sit strictissima satisfactio in actu secundo, sed teneatur DEUS remittere peccata humani generis; ita Valentia disput. 1. quæst. punct. 6. *Ego vero*, citans pro se Bonaventuram, & alios. Secunda sententia, quæ attribui solet Scoto, docet, satisfactionem Christi Domini (idem sub modo de Christi merito) non fuisse intrinsecè condignam, & sufficientem ad solvendum pro peccatis humani generis, sed accepisse extrinsecè sufficientiam à liberali acceptatione Dei, quatenus Deus voluit esse contentus cum illa satisfactione. Tertia sententia docet, fuisse intrinsecè condignam, & sufficientem in actu primo independentem ab ordinatione, & acceptatione Dei, non verò in actu secundo, cujus condignitas, ait hæc sententia, requirit ordinationem antecedentem ex parte DEI pro satisfactione strictissima, consequentem autem pro stricta. Ita plures, quos sequitur Martinus Perez disp. 3. de Incarnatione sect. 8.

465. **A**ltero 1. cum omnibus Catholicis: Christus Dominus non solum condignè, sed etiam superabundanter satisfacit pro peccatis mundi. Probat 1. ex Psalm. 129. ubi de redemptione, & satisfactione Christi, ita prædicitur, *quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud Deum redemptio*; at satisfactio Christi non solum fuit condigna, sed copiosa etiam, sive superabundans. Confirmatur 1. Illa est satisfactio superabundans, quæ magis continet, quàm quòd necessarium est ad condignam satisfactionem; sed ita se habuit satisfactio Christi: ergo non solum fuit condigna, sed etiam superabundans. Probat 1. min. Magis est, quòd Christus totum suum sanguinem obtulisset, ut revërâ obtulit, quàm si obtulisset duntaxat unicam guttam sanguinis; atqui una sola gutta sanguinis erat, ut ait Clement. 6. in Extravag. *unigeniti*,

nitus suprà citata; *cujus quidem una gutta sanguinis modica propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset; ergo &c.* Confirmatur 2. ex Tridentino sels. 6. ubi contra Novatores ita de Christo ait: *hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris: ergo &c.*

466. Probat 2. Illa est satisfactio non solum condigna, sed superabundans etiam pro remissione offensæ, quæ majorem in se continet valorem in ratione satisfactionis, quam contineat offensæ in ratione offensæ; sed talis est satisfactio Christi Domini: ergo non solum fuit condigna, sed etiam superabundans. Probat 3. Offensa in ratione offensæ, licet sit infinita secundum quid, quatenus est inhonoratio objecti infiniti, est tamen simpliciter finita, ut constat à n. 339. & 445. atqui satisfactio Christi in ratione satisfactionis est simpliciter infinita; quandoquidem Christus Dominus satisfecit per merita sua, quæ sunt simpliciter infinita, ut constat à num. 427. ergo operatio Christi Domini simul cum dignitate suæ personæ eatenus constituit meritum, quatenus non prærequirit in DEO jus offensæ, quod vi illius operis, & dignitatis remittatur, sed præcisè tendit ad acquirendum titulum condignitatis ad præmium, quo Christus manet quasi creditor, & DEUS quasi debitor; illa autem eadem operatio, & dignitas eatenus dicitur esse satisfactio, quatenus præcedit in DEO jus offensæ contra peccatorem propter offensam, cui Christus satisfecit, idèoque Christus est quasi debitor, & Deus quasi creditor; atqui illud concretum ex operatione, & dignitate est simpliciter infinitum: ergo satisfactio Christi in ratione satisfactionis est simpliciter infinita. Confirmatur 2. Licet offensæ esset simpliciter infinita in ratione offensæ, adhuc deberet considerari in linea valde inferiori ad lineam satisfactionis Christi Domini, cum offensæ sit opus puræ creaturæ, & satisfactio sit opus ipsius DEI; ad eum modum, quo operatio facta ab Angelo est Angelica, non verò, quæ sit circa Angelum, sed quod est in linea superiori, non solum adæquat, sed etiam excedit superabundanter lineam inferiorem, ut constat à num. 273. ergo &c.

467. Assero 2. cum Exim. Doctore disput. 4. sect. 3. & communi Theologorum: satisfactio Christi Domini secluso omni favore extrinseco acceptationis, & ordinationis divinæ habuit condignitatem, & superabundantiam in actu primo ad satisfaciendum pro peccatis totius humani generis ad promerendam redemptionem, & aliqua dona supernaturalia obtinenda. Probat 1. plurimis Scripturæ testimoniis evidentiibus apud Eximium Doctorem disput. 4. sect. 3. & apud Vasquez disput. 5. cap. 1. ex quibus celeberrimum est illud Pauli tota Epistola ad Hebræos, ubi probat, unicum Christi Sacrificium fuisse pro redemptione humani generis sufficientissimum, & præsertim cap. 5. ubi de Christo lachrymante, & Deo supplicationes suas offe-

rente ait: *exauditus est pro sua reverentia, id est ob intrinsecam dignitatem Christi dignificantem actus suos, & constituentem valorem satisfactionis suæ, & non ob gratiosam purè, & liberalem acceptationem divinam, ut exponit Chrysostomus Tom. 7. Homil. 8. per hæc verba: vult ostendere, ejus esse magis effectum, quam gratiam Dei, tanta non erat ejus reverentia, ut etiam propter eam revereretur DEUS; ac proinde propter infinitum valorem intrinsecum satisfactionis Christi accepit Deus eam satisfactionem, sed in hoc stat, quod satisfactio Christi Domini secluso omni favore extrinseco acceptationis, & ordinationis divinæ habuerit eam condignitatem, & superabundantiam in actu primo; ergo &c.*

Probat 2. ex Paulo ad Romanos 5. ubi ait: *si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia, & donum in gratia unius JESU Christi in plures abundavit.* Ex quo testimonio Cajus, Leo, & Agapitus Pontifices apud Vasquez disput. 5. num. 10. & 20. inferunt, majoris valoris fuisse Christi meritum, & satisfactionem ad vitam, quam Adami peccatum ad mortem inferendam, quibus addi possunt Chrysostomus Homil. 10. in Epist. ad Romanos, ubi ait: *si quis propter debitum decem nummos in carcerem conjiciatur, veniat autem alius, qui non solum solvat illos nummos, sed etiam, & numerum auri talenti largiatur, vincitque in regalem aulam inducat, ita & nobiscum factum est; Cyprianus Serm. de ratione Circumcisionis: tanta dignitatis Redemptoris nostri illa non fuit oblatio, ut una ad tollenda mundi peccata sufficeret; & Achanasius lib. de Incarnat. paulo post principium: corpus assumpsit, quod pro omnibus ad plenam satisfactionem sufficeret, & mortem in omnibus, quasi stipulam ignis consumeret suis meritis, & satisfactione; quæ omnia clarè indicant Christi satisfactionem ex suis intrinsecis fuisse in actu primo non solum condignam, sed etiam superabundantem; aliter non habuisset ex suis intrinsecis tantum valorem in ratione satisfactionis, quantum habuit peccatum Adami in ratione offensæ, quod est contra Apostolum, & contra testimonia PP. ergo &c.*

Probat 3. Satisfactio Christi independenter ab ullo favore extrinseco, utpote essentialiter constituta ex operatione sua, & dignitate Verbi simpliciter infinita est majoris valoris in ratione satisfactionis, quam sit offensæ in ratione offensæ, ut constat à num. 445. sed in eo stat, quod sit in actu primo superabundans secluso quolibet favore extrinseco; ad eum modum, quo labor servi diurnus valoris duorum Juliorum, se ipso continet illum valorem in actu primo independenter ab ullo favore extrinseco acceptationis, aut re promissionis Domini de dando prærio æquali pro illo servi labore; ergo &c. Confirmatur 1. Si satisfactio Christi ex intrinsecis suis non esset in actu primo condigna, & superabundans, non posset esse talis ex ordina-

ordinatione divina; ad eum modum, quo, licet Deus promittat justificationem actibus nostris ad illam disponentibus, quia tamen actus isti ex suis intrinsicis principiis non sunt in actu primo æqualis valoris cum justificatione, non sunt æqualis valoris, adhuc post ordinationem, & acceptationem divinam, ut ipsi Adversarii farentur, & constat ex Patribus adductis n. 276. dicentibus, ad condignum valorem fuisse necessariam Incarnationem, quæ certè necessaria erat ad acceptationem divinam; sed dici non potest, quòd satisfactio Christi post divinam acceptationem non fuerit æqualis, & superabundantis valoris, ut constat à num. 465, ergo &c. Confirmatur 2. Qui acceptaret decem pro agro ad minus valente mille, non redderet illa decem æqualis, & superabundantis valoris cum agro, sed remitteret gratiose reliquum pretii; ergo pariter in nostro casu.

470. **Altero 3. Satisfactio Christi Domini in actu primo considerata absque ulla acceptatione, sive ordinatione, aut promissione divina deremittenda offensâ propter illam satisfactionem, non obligat Deum, ut satisfactionem acceptet, & remittat offensam in actu secundo, ac proinde dici non potest strictissima satisfactio independentem ab ulla acceptatione, ordinatione, sive promissione divina. Probat 1. Deus, utpote ab solutus, & supremus Dominus omnium rerum creatarum, ita habet dominium ad acceptanda, vel non acceptanda opera Christi Domini cedendo propter ipsa juri acquisito contra peccatorem propter peccatum, vel non cedendo, ut à nemine possit obligari ad acceptandum, & cedendum independentem à sua ordinatione, & promissione, nec ulla est excogitabilis indecentia in eo, quòd utatur suo dominio; cum enim opera Christi sint creata, ex titulo creationis sunt debita Deo, ut supremo Domino, non minus, quam opera servi, ut servi sint debita Domino suo; non minus potest Deus sibi assumere ea opera, ut sibi debita ex titulo servitutis absque obligatione compensandi eorum valorem, quam sit potens Dominus sibi assumere opera servi, ut servi absque obligatione compensandi eorum valorem: ergo ea opera Christi independentem ab acceptatione, ordinatione, seu promissione divina non obligant, ut ea acceptet in satisfactionem, & remittat offensam in actu secundo, ac proinde dici non possunt strictissima satisfactio, neque illam constituere possunt independentem ab ulla acceptatione, ordinatione, seu promissione divina.**

471. **Probat 2. Quamquam filius Regis nondum emancipatus offerat opera sua Regi in satisfactionem offensæ illatæ à vasallo, non ideo manet Rex obligatus independentem à quocunque suo pacto ad acceptandam satisfactionem, licet satisfactio esset in actu primo majoris valoris, quam offensâ: ergo neque DEUS independentem ab ullo suo pacto manebit obligatus ad acceptandam in actu secundo in satisfactionem pro nostris peccatis opera elicita ab anima**

R. P. Gorman, Theolog. Tom. II.

Christi, ac proinde non manet obligatus, ut ea constituat cum dignitate personæ meritum strictissimum in actu secundo. Confirmatur. Si præcisè ex vi valoris satisfactionis Christi Domini in actu primo maneret Deus obligatus ad acceptandum illum in actu secundo, ita ut non esset liber ad illam non acceptandam, eo ipso maneret obligatus ad remittenda peccata, & conferenda præmia, ad quorum valorem se extendit ea meritoria satisfactio; sed hoc aperte est falsum; aliter dedisset Deus gratiam, & gloriam omnibus hominibus, pluraque alia dona, cum ad hæc omnia se extendat valor satisfactionis meritoria Christi Domini; ergo &c.

472. **Respondebis, non ita mansisse obligatum, quia Christus non postulavit ea præmia pro omnibus hominibus, nisi meritis aliquibus conditionibus, ut Baptismi, Pœnitentiæ, aliorumque similium. Contrà 1. Christus pro omnibus mortuus est, ut latè constat ex dictis à num. 150. de Gratia; ita, ut quicumque hominum, ut ex Symbolo Nicæno constat, verè dicere possit: crucifixus etiam pro nobis, vel, ut in Symbolo Athanasij dicitur, qui passus est pro salute nostra; ergo si independentem ab ulla acceptatione, ordinatione, & promissione divina teneretur DEUS admittere satisfactionem, & præmia ei æqualia conferre omnibus, pro quibus passus est Christus, teneretur eo ipso conferre omnibus hominibus gratiam, & gloriam, pluraque etiam alia dona superna. Contrà 2. postulatio Christi est actio creata, ac proinde ex titulo creaturæ subjecta DEO, ut essentiali Domino proprietatis; sed actio servi subjecta Domino titulo proprietatis, non potest obligare Dominum independentem ab ullo ipsius pacto, & promissione, ut eam compenset; ergo &c. Ex dictis**

473. **Fit 1. Deum non fuisse obligatum ad acceptandam Christi Domini satisfactionem in actu secundo pro nostris peccatis, neque ad remuneranda ejus merita, nisi post ordinationem, acceptationem, & pactum; quod inter Deum, & Christum intercessit, ac proinde ex tali pacto ortam esse in Deo obligationem cedendi juri acquisito contra peccatorem, & dandi præmia in pacto inclusa, licet illa præmia nequaquam sint supra valorem meritorum, & satisfactionis Christi Domini in actu primo; aliter quidem non essent compensativa, sed purè gratiosa, ut constat num. 312. & 470. proinde quæ non respiceret opera Christi, sive merita, ut digna ex se tantò donò, sed ut purum terminum, vel secundum alium respectum. Quòd autem defacto adsit tale pactum inter Patrem, & Christum, constat ex Scriptura sæpe à nobis adducta, in qua insinuat, Christum fuisse fidei justorem, & sponsorem pro nobis. Sic dicitur Ecclesiast. 19. gratiam fidei justoris non obliviscaris; dedit enim pro te animam suam; ubi ex doctrina Eximii Doctoris Disp. 4. sect. 2. Rabani, aliorumque exponit de Christo ea verba Cornelias in Commentario; quo etiam in sensu intelligi-**

rum Apostolus ad Hebræos 7. dicens: *melioris testamenti sponsor factus est Christus.*

475. Id ipsum significat Isaias cap. 53. dicens: unde peccata nostra fuerunt peccata Christi moraliter, atque ipsi imputata non quidem quoad culpam, cum sanctitas Christi sit impossibilis cum culpa, sed tantum quoad debitum satisfaciendi, quod ex pacto accepit; quare voluntas Christi in voluntatibus nostris nequaquam fuit inclusa, ut ipse peccaret nobis peccantibus, cum hoc impossibile esset Christi sanctitati, quamquam voluntates nostræ inclusæ fuerint in Adamo, ut nos peccaremus ipso peccante; ideoque peccatum ipsius transfusum fuit in nos, non solum quoad debitum solvendi, & patiendi, sed etiam quoad culpam. Præterea Christus in Scripturis ideo peccata nostra vocat peccata sua, quia ut fidejussor fecit illa moraliter sua, quoad debitum solvendi; quo in sensu intelliguntur ea verba Psalm. *Deus, tu scis justitiam meam, & delicta mea a te non sunt abscondita.* Ubi insipientiam, ex qua Adam comedit ex pomo vitæ, Christus vocat insipientiam suam, & delicta nostra vocat sua quoad debitum solvendi, ut optimè exponit Bellarm. in comment.

476. Eodem prorsus modo Psalm. 21. Christus dixit: *Deus meus! Deus meus! quare me dereliquisti, longè à salute mea verba delictorum meorum;* quem locum explicans Augustinus: *quorum delictorum; cum de illo dictum sit, qui peccatum non fecit, quomodo dicit delictorum meorum, nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, & delicta nostra sua debita fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret.* De hac etiam promissione, & pacto, ut testatur Eximius Doctor disp. 4. sect. 5. intelligunt plures SS. Patres illud primi Psalm. *postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem suam terminos terra.* Hæc enim loca Scripturæ vix, aut ne vix explicare poterunt illi moderni, qui negant pactum inter Christum, & Patrem, & quidem cum à Deo facta sit promissio puris hominibus remunerandi eorum opera, si in gratia Dei decedant, quid mirum! quod Christo facta sit promissio remunerandi sua opera? Ex quo facile intelligitur Tridentinum sess. 6. cap. 16. ubi ait, *bene operantibus usque in finem in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filius Dei per JESUM Christum fideliter promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda: hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, à justo iudice sibi reddendam; non solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus.*

477. Fit 2. Christum spontè, & liberè se constituisse ex vi illius pacti debitorem Deo ad satisfaciendum pro peccatis nostris, ac proinde liberè acceptasse, & iniisse pactum istud cum Patre. Ratio est, quia sicut Scriptura, & Patres summopere commendant charitatem Christi, quod,

cum esset innocens, voluit satisfacere Patri pro peccatis nostris, & liberè acceptaverit mortem; sic Isaias 53. *oblatus est, quia ipse voluit;* atque, si Christus ratione unionis ad hoc fuisset obligatus, aut ex titulo capitis, aut ex titulo charitatis, vel alio simili sibi non libero, non posset propter hoc esse commendanda charitas Christi, ejusque libertas: ergo &c. Difficultates, quæ hic suboriri poterant, commodius explicabuntur solutione argumentorum; de præcepto autem libertati Christi consentaneo agemus infra in peculiari Disputatione.

## SECTIO IV.

### Solvuntur Opposita.

Objicies 1. Contra primam assertionem: satisfactio Christi supponit remissionem partem debiti contracti per nostra peccata: ergo neque fuit superabundans, neque condigna satisfactio pro nostris peccatis. Probatur antec. per peccata primi Parentis contraximus debitum carenti Redemptore; eramus enim digni, quos Deus absque ullo remedio in æternum relinquere, & poenâ damni per totam æternitatem posset punire, imò & etiam poenâ æternâ sensus propter peccata nostra perlonalia; atque Deus hanc partem debiti nobis liberaliter remisit concedendo nobis absque aliis præviis meritis Redemptorem; ergo &c. Respondeo nego antec. Ad Probationem dist. maj. contraximus debitum exclusionis nego: debitum indignitatis conc. maj. & dist. min. nego conseq. Ratio est, quia per peccatum solum contraximus debitum constitutum peccati, quo reddimur indigni, & Deus manet cum jure ad indignationem & punitionem, si non offeratur ipsi condigna satisfactio; hoc debitum indignitatis nequaquam excludit existentiam Redemptoris, quandoquidem peccati integrum manere totum istud debitum, quamvis Redemptor existat: licet non deum Christus, qui possit redimere, cum liber sit ad non redimendum, eò ipso peccator, quantum diu remanet peccator, remanet adhuc cum tota illa indignitate per peccatum contracta; ac proinde remanet indignus Christo, ut Redemptore; unde debitum illud per peccatum contractum non est debitum exclusionis, sed indignitatis; cum verò Christus pro toto debito indignitatis abundanter satisfecerit, nobisque meruerit gratiam, ut ex peccatoribus redderemur iusti, & maneremus absque ista indignitate, exinde satisfecit quoque pro hac nostra indignitate, nullumque fuit debitum contractum à nobis per peccatum, pro quo Christus abundanter non satisfecit.

Objicies 2. Instando simul solutionem, & doctrinam nostrarum illationum: Christus semel productus non potuit non redimere nos neque fuit liber ad non redimendum; ergo